

Pf. 104. Io ait Psalmo 104. diuinus citharedus :
 Humiliauerunt in cōpedibus pedes eius,
 ferrum pertransiit animam eius. Acti di-
 cat : Fuerunt pedes eius vincti catenis
 ferreis, quorum dolor vsque ad animum
 eius penetravit. Vel ferrum hoc est cate-
 na ferrea petra fuit: animam eius, hoc est
 ipsum Ioseph, solet enim lingua Hebræa
 animam accipere pro animante. Et in li-
 bro Sapientia de illo scriptum legimus
 Hæc, nimirum sapientia, venditum iustū
 non dereliquit, sed à peccatoribus libera-
 uit eum, descenditque cum illo in fo-
 queam, & in vinculis non dereliquit il-
 lum. Cùm Dauid diuino auxilio fretus
 superbum Goliath in singulari certami-
 ne occidisset, & de eo honorificè trium-
 pharet, tanta inuidia incēsus est Rex Saul,
 vt de eius cede, qui pro ipsius vita le mor-
 ti obieciſset, cogitaret: præsertim cum
 mulieres Hierosolimitanas vidisset ob
 eius triumphum lætitia exultantes, eum-
 que in gloria militari sibi ipsi præferen-
 tes. Videntes scribæ & pharisæi & princi-
 pes sacerdotum magnificum Christi in-
 troitum in ciuitatem sanctam, audientes-
 que pueros, eius gloriam concinētes, cla-
 mant. Oſana filio Dauidis, non potue-
 runt eius gloriam æquo animo tolerare.
 Aspiciētes illustriam eius miracula diuini-
 tatem ipsius testificantiā, tanto ardebant
 odio, tanta inflammabantur inuidia, vt eū
 eam ob causam decernerent interficere,
 ob quam summa obseruantia eum cole-
 rebant. Et colligentes concilium di-
 cebant: Quid facimus, q̄a hic homo mul-
 ta signa facit? Ideo euangelista hæc verba
 literis mandauit. Sciebat Pilatus, quòd p
 inuidiam tradidissent eum. Quanto vir-
 tus alicuius est illustrior, tanto illum
 vehementiore flamma ardet inuidia. Vt
 fulmen altiora petit fastigia, quæ feriat:
 sic inuidia sublimiorem gloriam insecta-
 tur, vt eam deiciat. Hæc concitati im-
 probi homines sanctos Christi apostolos
 & martyres fide, religione, & omni-
 que virtutum genere excellentes variis sup-
 plicis ascecerunt. Hæc apostolorum imi-
 tatores Athanasium, Chrysostomum,
 Hilarium, & multos alios omni sapien-

tia, & nobilitate præstantes eiecit in exi-
 lium. Magnorum virorum virtutē imita-
 tione dignam, non inuidia, inuidi homi-
 nes odio prosequēbātur. Nec solū post
 Euangelium, sed etiam vigente vetere
 lege. Vnde apostolus capite vndecimo
 epistolæ ad Hebræos: Alij, inquit, Iudi-
 bria & verbera experti, insuper & vincu-
 la & carceres, lapidati sunt, secti sunt,
 tentati sunt, in occisione gladij mortui
 sunt. Circuierunt in melotis in pellibus
 caprinis, egenes, angustati, afflicti,
 quibus dignus non erat mundus. Hæc
 ille. At viri illi calamitatis illis affecti
 nec ærumnosi erant, nec infelices. Nam
 non magnitudo animi eorum torqueba-
 tur, non fides, non religio, non con-
 stantia, non denique animi ipsi crucia-
 bantur, qui bene factorum rerum que
 præclarè gestarum præsidio muniti, cum
 corpora expugnarentur, expugnati pro-
 fecti ipsi nunquam potuerunt. Iactas
 ab impiis nefarias in seipos iniurias in-
 telligebant, peruenisse ad seipos nun-
 quam putarunt. Si voluerimus ad mon-
 umenta vetustatis respicere, & huma-
 narum historiarum repetere memoriam,
 videbimus eiectos fuisse in exilium ex
 Romanis Scipionem Africanum, Mar-
 cum Tullium, Anneum Senecam Cor-
 dubentem, quorum primus fuit decus
 rei militaris, alter eloquentiæ, tertius
 philosophiæ. Athenienses expulerunt
 patria Themistoclem, & Aristidem duo
 lumina Græciæ. Lacedæmones Dema-
 rathum, & Licurgum, alterum stre-
 num ducem, alterum insignem legi-
 slatorem. Ex Sicilia fuerunt relegati
 Philistius historicus, & Dion Siracusanus
 Philosophus, magni nominis au-
 thores. Lege Plutarchum, Itum Li-
 uium, Suetonium Tranquillum, Dio-
 nem Cassium, Aelium Spartianum, Ju-
 lium Capitolinum, Trebelium Pollio-
 nem, Blauium Syracusanum, Polybiū,
 Appianum Alexandrinum, & alios hi-
 storicos, & inuenies infinitos viros de
 republica benemeritos, honestate, eru-
 ditione, & rerum gestarum gloria præ-
 stantes, fuisse à suis ciuibus contumelis

Heb. 11

Plutare.
 Luitus.
 Sueton.
 Dion.
 Cassi.
 Capito.
 Trebel.
 Flauius.
 Polybi.
 Appian.